QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XVIII. IANVARII,

M. ANDREA LE GROS, Doctore Medico moderatore.

808.

An benigna homini parens Natura?

CAVSARVM erga effectus elucet beneficentia, quando prospera sorte beantur ea, quæ principiorum ope consistunt: quemadmodum Actus purissimi quondam effato, Mundus integer nunquam naturali ruinâ desiturus, formosissimus consurrexit. Causæ autem apud nos, possunt esse eædem contrariorum causæ, idem subiectum nactæ; vbi vel influunt rebus salutare subsidium, quo perennent, vel contrà quando in generationis progressu deficiunt: hinc causæ benignitas aut inclementia censetur, non tam in causa quàm in effectu solo conspicua, nam quæcumque bene genita sunt, actionum pulchritudine vel vsus excellentiâ probantur, vt quæ malè, actione & vsu aut vilescunt aut omnino spoliantur.

TANDIV autem aliquid causa est quandiu principium existit quod futurum aliquod causatur, vnde nullæ remanent in compositis & effectis causæ prout tales sunt, licèt forma fulcimentum materiæ cum omnibus penè mundi indiuiduis ad nouissimum vsque interitum perseueret. Pendet tamen à causis, sed à fine potissimum naturalis rerum ad bonum vel malum propensio, vnde velut optimo consilio fiunt quædam vitam mansuetam viuentia; sic alia malo proposito nata sunt, vt feræ, quarum tamen vitium faciliùs in homine peruerso quàm in ipsa bestia iudicatur: verùm finis adest aut abest dum aliquid producitur, ἔστιν ἄρα τὸ ἕνεκα ἐν τοῖς φύσει γινομένοις καὶ οὖσιν: abest verò si forma præsens αἰτία ἡ οὗ ἕνεκα perhibeatur.

RERVM omnium species sunt naturæ germina, cuius seriò deliciantis homo est amœnissima fœtura, hinc sermonis medici sunt ineunda primordia. Igitur temperamentum natura potest existimari, non exemptile, sed innatum; vel est principium per se motus eius in quo est, cuncta generat, cuncta custodit, verùm vt illius curiosa est admodum felicitas dum ex semine & sanguine diuinum fingit hominis corpus, quod vbi perfectum est animam à Deo immortalem mutuatur, sic & huius veneranda est solertia, quod cælesti quodam ferrumine ita corpus animæ deuinciat, vt non nisi summa vi, anima, velut Deus in terris habitans, possit extra humanum hospitium emigrare: Apparet sæpe in prima hominis natiuitate, benignitatis naturæ testimonium incredibile, nam temulenti sobrios, mutili membris omnibus instructos partus edunt: naturâ seminis malitiam edomante, vel eiusdem penuriam secreto quodam scrutinio resarciente, cùm semen ex partibus vniuersis deciduum esse decernamus.

LICET medico non incumbat nosse animæ substantiam, tamen iuuat stupere ipsam velut diuinam stricturam, quâ paulului accedit homo ad Creatoris imaginem, quâ summum ius ab initio in omne viuentis genus suscepit; id præter fidem probat natura; nam fatiscente per senium hominis domicilio, memor suæ sortis intellectus non atteritur vsu, imò vegetior efflorescit, vnde cùm ætas præcipitat, mentis numen prudentiâ magis ac magis enitescit. Præsentit natura sine doctore tam nobilis formæ aduentum, quando artuum & ossium contignationes adeo stabilit, vt possit homuncio rectus incedere, vixque sermonem intellectus imaginem hæsitans profert puellus, quin statim caput exerat; ipsius substantia diuina est quæ sponte sapit & intelligit, & cælum petit vertice, ne humi nimio pondere, auræ diuinæ particula defigatur. In capitis, quod caro nulla grauat, conceptaculo cerebrum copiosum custoditur, cuius ope facultates inexhaustis penè spiritibus instructæ, functiones cunctas perfectiùs quàm in alia specie continenter exequuntur.

TANDEM vt benignissimè mater natura de homine merita videatur, non vt iniusta nouerca, illum in vtero radicatum pascit pabulo salutari; & viuificat spiritu sincero; ad id venam vnam, arterias duas ex fœtu promittit, quæ per placentam disperguntur, vtero nullatenus adhærescentem, circa Cor duos canales fingit ad pulmonum salutem, qui officio functi post partum obliterantur, in lucem editum lacte reficit, parentibus committit, quibus ardentissimum inter omnia viuentia tutandæ inermis prolis inseuit desiderium. Mox homini per ætatem vires addit, ad actionum firmitudinem, quò morborum impetus præcaueat, ipsi languido medetur, eique tam optima vitæ præsidia in calido infixo sita concedit, vt viuentium nullum (si cum homine conferatur) non laboret viuifici caloris indigentiâ. Quid plura? vultu majestatis sede, rationis indice, hominem solum insigniuit: & ne quid tanto deesset operi, manus instrumenta prudentiæ, eidem est impertita; quibus veluti iucunda beneficiorum recordatione homines, omne artium genus tractantes, naturam matrem ingeniosè perficiunt.

Ergo benigna homini parens Natura.

Proponebat Lutetiæ IACOBVS LE FEBVRE, Parisinus. A. R. S. H. M.DC. XXXV. 255.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Hermanus de Launay.
M. Phil. Hard. de S. Iacques.
M. Elias Beda.

M. Franciscus des François.
M. Ioannes du Cledat.
M. Claudius Quiquebeuf.

M. Nicolaus Pietre.
M. Iacobus Cousinot.
M. Petrus Seguyn, Antiq. Mag. Reg. à Cons. & Reginæ [Med. prim.